



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Quomodo in ouo scribi possit. Cap. IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

artificio, nisi tantum terreno puluere insparso. Fieri etiam potest

vt nigra papyro alba litera videantur.

Cuius hæc est ratio. Ovi luteum albumenque commisceantur, vt instar scriptorij atramenti liquecat: eo liquore literarum figuræ in papyro protrahantur, & exsiccantur, tum super exsiccata chartam colorater inducitur, eaque iterum exsiccata mittitur. Verum vt literæ conspici possint, lato ferro chartæ superficies eradatur. Sic enim fiet, vt sublato inde atramento, ubi literæ erant, earum albi coloris signa conspiciantur.

Quomodo in ouo scribi possit. CAP. IV.

QUONIAM carceribus ocellusis, vel Pontificalium suffragiorum comitijs oua nõ intercipiuntur, nec aliquid fraudis in eis suspicatur, monstrabimus quomodo & summo cortice, & in albumine literarum characteres inscribi possint. Exemplum

vt litera in oui cortice scribi possint.

Cera ouum circumlinito, in eaq; stylo ferreo lineæ delineentur vsq; ad corticem, sed eum non lædant; nam si ferro, vel stylo, cultrove corticem læseris, periculum imminet, ne dolus detegatur. Submerge ouum per noctem forti aqua separationis auri ab argento, mane amoue ceram, & decortica ouum, & corticem intra lumen & oculum pone: nam peruium corticem, & pellucidæ literæ conspiciantur. Idem eueniet si limo ouum succo ouum pinxeris, nam corticem emollit, vt ne fœdet corticem, & ex voto fruaris. Si vis autem

vt litera supra albumen videantur

Croceæ, & rectius vbi ouum excoctum fuerit. Coque ouum donec dure scat, & cera obline, & insculpe cera literas stylo, vt lituræ debiscant, imponatur in humore, id est, ex gallis cum alumine tritis. Inde acriaceto impones, & eæ fient penetrabiles, quas cortice detesto, videbis in albumine oui, Africanus ita docet. Gallas & alumen cum aceto terito, donec atramenti spissitudinem habeant, ex hoc quicquid libuerit ouo inscribitur,

bito, & postquam scriptum Sole desiccatum fuerit, ouum in muriam acrem demittito, & resiccatum coquito, & decorticato, & reperies inscriptionem. Ego in acetum imposui, & nihil euenit, si per muriam non intelligat acre lixiuum, vulgo *capitello* dictum. Cuius causa hæc est: quia oui cortex porosus est, & laxis meatibus hiat, argumento quod recens igni appositum ouum fudat, & foris extillat aqua, & contra lumen inspiciendo clarus apparet, & quum acetum subtile sit, per eos penetrat, & tenerum corticem efficit: quumque remissum sit cum albumine, & galla, secum eorum substantiam defert, & albumini oui imprimit, illudq; in frigida aqua immergens, condensat, & ad pristinum statum reducit. Sed animaduertendum, non esse immorandum in aceto, nam totum corticem erodit, ouum nudum, & sola cuticula contactum reddit, & si tale aquæ immerferis, cortex non restituitur. Si vis scire

Quomodo literæ aqua in ouo visibiles fiant.

Solue chalcantum in aquam, & scribe supra corticem, & resiccescens nil conspicietur. Si vis legantur, gallas vino coque, & in eo ouum submerge. Aut supra ouum aqua calcis scribe, & lixiuo immerge, vbi maceratum erit brasiliū, sic literæ halurgæ videbuntur. Aut scribe sepo supra corticem, & vitrioli aqua summerge, post exiccationem abraide sepo, & nil apparebit, vbi prædicto vino mox immerferis: albæ literæ in nigro cortice candidabunt. Docebimus

Literæ quomodo igne supra ouum visibiles fiant.

Citriorum succo supra ouum exarentur notæ, cæparum aut ficus lacte, quod quum igni admoueris, croccas literas videbis. Idque in crudo ouo fieri poterit, nam coquendo literæ apparebunt.

Literæ supra corticem oui puluere videantur.

Supra corticem, aceto, adipe, lacte ficus, tithymali, vel gummi notas delineabis, quas vbi conspicuas velis, carbasis polline, aut combustæ papyri, aut paleæ, videbuntur nigræ. Extat modus, quo

Epistola intra ouum immitti possint.

Epistola, quæ scribitur, sit angusta & longa, vt mediij digiti latitudinem vix superet, breuibus verbis, ac subtilibus characteribus tuæ mentis conceptum expone; deinde cultri acie in ouo rimam excuato, ac internam pelliculam rumpito, & ex vno capite schedulam immitte paulatim, nam facile recipiet, etiam decem palmorum. Inde calce & gummi remittis scissuram obtura, ne videatur, cerussa & gummi tragacanthæ; nam impossibile est vt videatur. At si vis hoc subtilius eueniat. Ouum aceto expone, ternis, quaternis ve horis, & vbi reperis remolliri, cultri acie corticem aperi, papyraceam schedulam impone, mox aquæ frigidæ merge, & macerari curato, & cortex pristinae duritiei reddetur.

Quomodo diuersis in locis scribi possit, vt legentes eludat.

C A P. V.

SCRIPSIMVS inuisibiles scribendi modos: nuncij se offerunt, qui varijs in rebus literas exarando, etiam visibiles lectores tamen & interceptores occulta simulatione eludent, Primo

Quomodo tenui filo scribere possimus.

Sed videamus id quomodo maiores nostri prestiterint, narrat Gellius noctium Atticarum libris. Lacedæmonas quum ad Imperatores suos scriberent, vt literæ interceptæ occulta hostibus consilia indicarent, hoc scripti genus ex industria excogitasse, quamuis eius rei commentum referant Archimedi. Surculi duo teretes longiusculi, & torno perpoliti equabantur, vt par vtriusque longitudo, & latitudo esset, eorum alter Imperatori ad bellum proficiscenti dabatur, alter domi penes magistratus diligenter seruabatur, quoties itaq; vsus necessitas incidebat, pagina, quanta rei satis erat, surculo circumuoluta, vt rotundū volumen efficeret, & oræ bene adiunctæ in modū lori apte ligno cohærent, ne rimæ interponerentur, tum inclusam sic circumuolutam literæ à summo capite per trāsuersum ad imum in eo loco inscribebantur. Perscriptum inde lorum surculo prolixum & angustum eximebatur, & ad Imperatorem dabatur, existimabant enim si in hostium manus illud forte